

Q. 153. *Cujus qualitatis sunt hæc omnia Officia Votiva?*

R. Hæc Officia non sunt proprie dicta Festa, sed ad instar Festorum, quasi repetitiones Festorum; insuper, non sunt recitanda ex præscripto Rubricarum, sed ex devotione tantum dicuntur, vel indultiva solum sunt, unde rationem habent Festi secundarii.

Hoc confirmatur Decreto S. Rituum Congregationis, diei 23 Augusti 1895 (n. 3870), quo declaravit hujusmodi Officia Votiva in concurrentia cum Festis primariis ejusdem ritus, habere tantum Commemorationem in Vesperis quæ totæ dicuntur de Festo primario.

Occurrente tamen Officio Votivo de Immaculata Conceptione B. M. V., etiam sub ritu semiduplici, cum primis Vesperis Dominicæ sequentis, Vesperæ dicuntur de Dominica tantum a Capitulo. (Decreta 19 Julii 1895, n. 3867, ad 1; et 3 Septembris 1895, n. 3871.)

Concludi potest ex Decreto S. Rituum Congregationis, 22 Maji 1896 (n. 3908, ad 1), quod ubi concurrunt inter se hæc Officia Votiva, distinctio dignitatis personæ non erit ipsis applicanda (Q. 104, IV); unde in paritate ritus omnia sunt ejusdem ordinis, et dicuntur Vesperæ a Capitulo de sequenti cum Commemoratione præcedentis. Sed de his dicetur longius in Sectione II.

Q. 154. *Quomodo persolvuntur prædicta Officia Votiva, per annum pro singulis hebdomadæ Feriis concessa?*

R. Dicuntur prout in aliis Festis semiduplicibus, additis tum Commemoratione Vigiliæ, Feriæ majoris et Festi simplicis occurrentis, tum nona Lectione, de Homilia super Evangelium ejusdem Vigiliæ vel Feriæ, aut de Sancto. — Tempore Paschali additur ubique *Alleluja*, etiam in Officio Votivo de Passione D. N. J. C., et servantur omnia ejusdem temporis propria. (Decret. S. Rituum Congregationis, 24 Novembris 1883, n. 3597, antiq. 5896, ad 2.) — Adduntur Commemorationes communes, seu Suffragia Sanctorum, ut in Psalterio, si faciendæ sint; omissa Commemoratione ejus, de quo fit Officium Votivum; ex. gr. omissa, in Officio Votivo de S. Joseph, et in Officio Votivo de Immaculata Conceptione B. Mariæ V., casu quo ritu Semiduplici recitetur secundum dicta in præcedenti Quæstione,

eorum Commemoratione communi; omissa etiam Commemoratione de Cruce, in Officio Votivo de Passione D. N. J. C., quando hæc tempore Paschali loco Suffragiorum de Sanctis dicitur (Decreta 29 Aprilis 1887, n. 3675, antiq. 5983, ad 3; et 27 Junii 1899, n. 4043, ad 2); omissa tandem eadem Commemoratione de Cruce in Officio Votivo de SS. Eucharistiæ Sacramento, in quo recolitur memoria Passionis Christi. (Decret. 27 Junii 1899, n. 4043, ad 2.)

Notandum hic est, præfatam rubricam, de omittenda Commemoratione ejus de quo fit Officium, non esse applicandam Commemorationi communi de SS. Apostolis Petro et Paulo, in Officio Votivo de SS. Apostolis assignato Feriæ tertiæ: declaravit S. Rituum Congregatio, in casu hanc Commemorationem non esse omittendam. (Decret. 24 Novembris 1883, n. 3597, antiq. 5896, ad 7.)

Pro facilitate persolventium, in Directorio describuntur rubricæ servandæ in recitatione Officiorum Votivorum; quod fieri posse rescripsit S. Rituum Congregatio; voluit tamen ut iisdem diebus redigatur etiam ordo divini Officii more consueto juxta rubricas, de Festo simplici nempe, aut de Vigilia, aut de Feria. (Decret. 19 Septembris 1883, n. 3594, antiq. 5893, ad 2.)

SECTIO II

De Occurrentia et de Concurrentia Officiorum

CAPUT I

DE OCCURRENTIA

ARTICULUS I

De natura Occurrentiæ

Q. 155. *Explica quid intelligatur per Occurrentiam.*

R. Cum ob Festi Paschalis mobilitatem, ipsum Fe-

stum, et omnia quæ ab eo dependent Festa et Officia mobilia quolibet anno aliam occupent diem; cum insuper, ob mutationem annuam Litteræ Dominicalis, omnes Dominicæ et Feriæ aliam quolibet anno occupent in mense diem (cfr. Q. 96, 3^o); — cum aliunde omnia fere Sanctorum Festa fixam habeant in determinata mensis die sedem, ut videre est in Calendario; exinde necessario accidit, ut sæpius Festa et Officia mobilia, et Dominicæ in eam incidant diem, quam Festum immobile jam occupat, sicque duo in una die in conspectum veniant Officia. Illa autem **incidentia duorum in una eademque die Festorum aut Officiorum vocatur Occurrentia**. — Etsi duo hæc Officia sermone latino forsitan emendatius dicerentur *concurrere*, tamen in Liturgia dicitur quod ambo *occurrunt*, et vox *concurrentia* de alio Officiorum conflictu intelligitur, ut in Capite sequenti dicitur.

Exempla: dies 28 mensis Maji assignata est Festo S. Augustini, Episcopi Cantuariensis; at fieri potest, ut hac eadem die 28 Maji celebrandum veniat uno anno Festum mobile SS. Corporis Christi (1891), alio anno incidat dies infra Octavam Pentecostes (1890), alio anno dies Octava Ascensionis Domini (1903); — dies 30 mensis Novembris est propria Festi S. Andreæ, Apostoli; fieri potest, si Littera Dominicalis est E, ut eadem die adveniat Dominica I Adventus (1902); — in his casibus dicuntur occurrere Festum S. Augustini et Festum SS. Corporis Christi; Festum S. Augustini et dies infra Octavam Pentecostes; Festum S. Augustini et dies Octava Ascensionis Domini; Festum S. Andreæ et Dominica I Adventus.

Q. 156. *Quotuplex distinguitur Occurrentia? Explica.*

R. Duplex distinguitur Occurrentia: **accidentalis** nempe, et **perpetua**.

Occurrentia accidentalis datur, quando Officium mobile incidit in ea die in qua Officium fixum suam sedem habet, vel in qua aliud Officium mobile similiter incidit; — et quoniam Officium mobile, si præsentis anno in tali die incidit, sequenti anno in alia die incidet, non semper igitur, neque perpetuo occurret cum eodem Officio fixo, sed tantum accidentaliter, quia scilicet sequenti anno Festum Paschatis alia die mensis, imo alio quandoque mense celebrandum erit; quia item sequenti anno Littera Dominicalis diversa erit; ideo Occurren-

tia duorum hujusmodi in una eademque die Officiorum dicitur **accidentalis**.

Hæc est Occurrentia quæ in præcedenti responso exponitur, et per exempla proposita manifesta est. Attamen, licet data ibi Occurrentiæ definitio apta sit, ratio tamen Occurrentiæ non ex toto sufficienter exposita fuit, ut ex sequentibus patebit.

Occurrentia perpetua datur, quando Officium fixum incidit in ea die in qua et aliud Officium fixum suam sedem habet; — quoniam ambo fixa sunt, ideo quotannis eadem determinata die mensis, seu perpetuo hæc occurrunt.

Exempla: Dies Octava Festi Nativitatis S. Joannis Baptistæ (quod celebratur 24 Junii), ritus Duplicis, necessario incidit in die 1 Julii; Festum S. Rumoldi, Episcopi et Martyris, in Archidiecepsi Mechliniensi celebratur ritu Duplici 1 classis eadem die 1 Julii: occurrunt perpetuo hæc dies Octava et hoc Festum. — Festum duplex S. Martini, Episcopi et Confessoris, celebratur 11 Novembris; eadem die incidit Festum simplex S. Mennæ, Martyris: hæc duo Festa, duplex unum, simplex alterum, perpetuo occurrunt. — Ubi idem S. Martinus est Patronus loci, vel Titularis Ecclesiæ, ejus Festum est duplex 1 classis cum Octava; Octava dies incidit in die 18 Novembris; eadem die 18 Novembris indicatur in Calendario universæ Ecclesiæ Festum duplex majus Anniversarii Dedicationis Basilicarum SS. Petri et Pauli: in his locis, in his Ecclesiis occurrunt dies Octava S. Martini et Festum Dedicationis, et quotannis seu perpetuo occurrunt.

ARTICULUS II

De effectibus Occurrentiæ

Q. 157. *Qui sunt effectus Occurrentiæ?*

R. Ex Occurrentia id efficitur ut, cum in una die nonnisi de uno fieri possit integrum Officium, alterum aliquo pacto hac eadem die cedere debeat; quod diversis fit modis, etenim: aut de altero fiet tantum Commemoratio loco Officii integri; aut ipsum alterum Officium omittetur penitus; aut integrum in aliam diem accidentaliter transferetur; aut integrum in aliam diem perpetuo mutabitur vel assignabitur.

Proinde sequentia inquirenda sunt in omni conflictu plurium Officiorum: